

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

### Critices biblicae notio.

**Selecta ex bibliothecis et archivis.** M. A. Mureti oratio de laudibus litterarum.

**Horae subsecivae.** Constantini Magni somnium.

**De Leone XIII P. M. Commentarius.**

**De veterum balneis.**

**Colloquia latina.** Accusatio varia scholastica.

**Paroemiae sive Adagia.** Nuces relinquere. — Bis pueri senes. — Unus vir, nullus vir. — Asinus inter Simias. — Unguibus notari. — Sus tumbam audivit. — Nihil graculo cum fidibus.

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae**

**selectae.** Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Saera Poenitentiaria Apostolica.

**Diarium Vaticanum.** Coram SSmo. admissiones. — Peregrinorum adventus in Urbem. — Pontificiae electiones. — Varia.

**Annales.** Turcarum et Balkanicarum gentis nova discrimina. — Mauritanae decertationes.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**Ioci.**

**Aenigmata.**

**Appendix: Ad Romam.**

## CRITICES BIBLICAE NOTIO

Duplex critices genus, litterarium nempe et historicum, olim distinguebatur. Modernis temporibus res aliter cessit, atque dum penes Germaniae sapientes de critice « sublimiori » (*höhere Bibelkritik*) neconon de critice « inferiori » (*niedere Kritik*) fit sermo (1); penes Anglos expressiones « sublimior criticismus, — sublimiores critici » (*higher Criticism, higher Critics*) adhidentur. Alii denique de critice « originis » (*de proveniencia*) et de critice « instaurationis » (*de restitutione*), de critica « interna » et « externa » loquuntur. (2) Modernistae eo usque critices sublimioris vocabulo abusunt, ut non immerito in malum sonet sensum. Hinc Leo XIII (3) de illis qui ad sacras Litteras profitandas designantur scribit: « Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia doctiores esse oportet atque exercitatores in vera artis criticae disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum « criticae sublimioris », quo ex solis internis, ut loquuntur, rationibus cuiuspam libri origo, integritas, auctoritas diadicata emergant ». — Non aliter Pius Papa X (4): « Evidens fit, criticen eiusmodi non quamquam esse criticen, sed vocari iure “ agnosticam, immanentistam, evolutionistam, : atque ideo, qui eam profitentur eaque utuntur, errores eidem implicites profiteri et catholicae doctrinae adversari. Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere ». Dum vero idem Pontifex in *Motu Proprio* de « Praestantia Scripturae sacrae » (18 Nov. 1907) de praedecessore suo, Leone XIII, loquitur, ait: « Ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae, quae critica sublimior audit ».

Quamobrem non parvae erit utilitatis critices biblicae notionem, definitionem videlicet divisionemque tradere, eiusdem obiectum atque processum determinare.

Falso putaverunt quidam, criticam vel particularem, vel novam esse scientiam. Siquidem scientia hominis, quae sine critica nunquam est, semper exstitit, omniumque disciplinarum, sive historicae sive philosophicae sint, proprium est, respectu sui obiecti criticam instituere. Hoc unum fas est asserere, videlicet, temporum progressu, critices scientiam maiorem nactam esse perfectionem. Generatim sapiens vocatur criticus, qui in veritatis acquisitione iudicem nulli parti faventem se praebet, methodo procedendo rationabili, ita ut omnia scrutetur, super omnia invigilet, omniaque rigorose dimetiat. Respectu libri alicuius sapiens vocatur criticus, si librum ipsum in sua totalitate, in suis partibus, neconon in forma rebusque contentis, propria investigatione complectatur. Critica vero, prouti de Libris inspiratis dicitur, et « biblica » nuncupatur, a quibusdam sub hisce verbis definiri consuevit: « Sacrae Scripturae examen, recentioribus inventionibus adhibitis, auxilioque aliarum disciplinarum, praecipue vero scientiae historicae ac linguisticae, peractum ». Nonnulli criticam biblicalam definiunt: « Textus Scripturae sacrae examen ad eiusdem Scripturae sacrae authenticitatem integratatem ostendandam » (1).

Divisio critices biblicae est in criticam realem, superiorem ac sublimiorem, et in criticam inferiorem, textualem, ac verbalem. Prima, Librum sacrum in sua totalitate considerat, atque authenticitatem eius investigat, vel ad relationes inter libros sacros existentes constituendas operam navat. Secunda textus verba, propositionesque considerat, et textus originalis genuinitatem.

(1) Cf. H. HÖPFL, *Die höhere Bibelkritik*.

(2) *Dictionnaire Apologétique*, eee., fasc. III, p. 782.

(3) *Providentissimus Deus*, 18 Nov. 1893.

(4) *Pascendi*, 8 Sept. 1907.

(1) Cf. MIGNOT, *Lettres sur les études ecclésiastiques*, 1908, p. 243-46.

tem secundum critices textualis dictae leges statuit<sup>(1)</sup>. Critices biblicae obiectum est, authenticitatem, librorumque sacrorum integritatem probare; idest a) libros sacros esse vere eorum auctorum quibus tribuuntur, documentisque sufficientibus fulciri, per quae eorumdem inspiratio ostenditur, ac credibilitatis nostrae rationabilitas explicatur. Critices biblicae proprium est, libros sacros sub adspectu historico litterali examini subiicere, auctorem conditionesque vitae eius, tempus, locum, scopum compositionis investigare, atque res in libris sacris contentas per analysis exponere. b) Integritatis cuiusque libri sacri demonstrationem adducere; aliis verbis, ostendere librum in eadem forma, in qua ab auctore scriptum fuit usque ad nos pervenisse, neque augmentum, neque diminutionem esse passum, neque interpolationem aliquam, vel per ornamentum vel per eruditionem, vel per mutationem interfuisse. Critica biblica denique textus formam scrutatur, variationesque discordantes eo fine investigat, ut veritatem textus instauret. (2)

Critica biblica, duplum adhibet processum; utitur nempe, « criterio externo, » neenon « criterio interno ». Per criterium externum, historiae testimonium circa textus originem vel circa factum aliquid cognoscit; per criterium vero internum, ipsius textus analysis instituit, linguam libri, ipsasque res in libro contentas scrutatur.

\*\*\*

In processu critices biblicae absque dubio peccat Hypercriticismus, quia interno abutitur criterio, dum quasi ex instinctu Traditioni fidem denegatsuam. Contra defectum huiusmodi Catholicos munit Leo XIII: « Perspicuum est, — scribit ipse, — in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes « internas » plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incomoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et diserpant: illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praejudicatamque opinionem interpretando sectentur: inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiuscem novae principes disciplinae: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur ».

(1) KRIEG, *Encyclopedie scientifica*, ecc., traduzione del CARDINALI, p. II, §§. 67.

(2) KRIEG, l. c.

\*\*\*

Critices biblicae obiectum universalius est, quam obiectum tum Hermeneuticae biblicae, tum Exegesis biblicae. Hermeneutica enim est vox quae ab Hermete (Mercurio), qui credebatur deorum nuntius et interpres, (1) derivatur, et in genere dicitur « disciplina regulas complectens, quarum ope verus alicuius orationis sensus tutius erui et rite exponi potest »; et Hermeneutica biblica in specie definitur a Prof. Zappelat (2) « disciplina regulas complectens, quarum ope sensus s. Scripturae verus, i. e. a Spiritu Sancto intentus, tutius erui et rite exponi potest ». Obiectum materiale (seu id circa quod versatur) huius disciplinae est s. Scriptura seu libri canonici utriusque Foederis; obiectum autem formale (seu id quod in obiecto materiali respicit) sunt regulae interpretationis.

Exegesis vero est proprium alicuius dicti obscura explicare; est regularum Hermeneuticae applicatio; est textus biblici explicatio atque interpretatio. Critices biblicae autem, ut vidimus, obiectum est authenticitatem librorumque sacrorum integritatem probare.

Criticus biblicus, Hermeneuticae biblicae et Exegesis catholicus sapiens, ad veritatem Scripturae sacrae defendendam normam a Concilio Tridentino traditam prae oculis habeat (3): « Nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianaee pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia... aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ».

REGINALDUS FEI O. P.

(1) *Act. 14, 11*, Lystrenses vocaverunt Paulum « Mercurium », quoniam ipse erat dux verbi.

(2) *Hermeneutica Biblica*, *Prolegomena* §§ I.

(3) *Conc. Trid. Sess. IV*, *Denz. 667*.

## SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

### M. A. Mureti oratio de laudibus litterarum (1)

... Magna omnino vis magnumque momentum positum est in litteris ad conservandas, bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam quum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, et singulorum civium felicitate constet; singulorum autem felicitas in exce-

(1) Quae clarissimus socius noster Marcus Galdi recens in nostro commentario scripsit (an. XVI, n. III); de causis ob quas iuvenes in litteris ediscendis languescant, frugem aliquam latinitatis causae ferre visa nobis iucunde sunt; siquidem nonnulli socii alii a nobis quaesiverunt, ut Mureti orationes a Galdo tanto cum animi ardore commendatas, nostrisque diebus — dolendum sane! — parum cognitis, in nostris paginis ederemus. Quod quidem libenter hodie aggredimur. Sequentur, quum congruum spatium habebimus, non solum oratio « de utilitate et praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores », sed illa etiam « de via ac ratione tradendarum disciplinarum », in qua si studiorum prospectus a magistro illo doctissimo traditur cum nostra aetate haud facile nominatin congruens, et tamen in universum talis appareat, qui ad humaniorum studiorum necessariam instauracionem utilitatis auxilium aliquod sit proculdubio allaturus. — Oratio quam hodie exhibemus habita a Mureto fuit Venetiis mense Octobri MDLIV.

lenda, exercendaque virtute praecipue sita sit, et ad perfectam virtutem consequendam, necessariam quandam praecursionem adhibeant litterae, illud profecto consequitur, ut nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolute civitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes aetatis humanae partes, omnem publicorum temporum varietatem, omnes instituendae vitae rationes; et vias animo et cogitatione percurrite; nullam omnino reperietis, quae non ita litterarum auxilio indigeat, ut, eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Eae nos, ubi primum firmius incedere, atque articulatus loqui coepimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimae voluptatis alliciunt, affectos praecepsis saluberrimis complent; non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias, excitant in animis nostris igniculos gloriae; quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quae qui semel bene penitus imberint, ii nunquam non postea et vitii turpitudinem omni studio refugient, et officii honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquae vitae exspectatio ab educatione pueritiae pendet; ubi vero infirmam illam ineuntis aetatulae teneritatem robur adolescentiae exceptit, quae tandem alia res, aut animum praeclararum rerum studio accendere, aut effarentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos iniicere, praeter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, quum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis trophyo, quiescere volentem, excitari; quanto eos acrius incendi, atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute praestantium trophya, non ex marmore constituta ad exigui praedicationem temporis, sed ad omnem aeternitatem commendata litteris intuentur? Neque vero pertimescendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui aetatis suae florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta siquidem est oblectatio paulatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris taedium, neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. Itaque sapienter poetae, quum ceteros omnes Deos Veneris imperio subdidissent, in Minervam modo, et in studiorum praesides Musas, nihil ei, nihil Cupidini iuris esse voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriae proditum est, Iasonem olim, ceterosque Argonautas, quum eam insulam, quae ab amoenitate florumque copia nomen invenerat, praeternavigarent, periculumque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quae eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse: qui quum assedisset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explicare coepisset, tanta simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut

iam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc flgmento, quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida vide-licet illa insula iuventus est. Eam qui quasi praetervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est voluptatum blanditiae decepti, et at recto itinere abducti, in vada et scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? Cuius suavitatem qui percipiunt, ii et Acheloidum cantus pro nihilo putant, et tandem institutum illud iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali coniunctam gloria, consequuntur. Nimirum ut maior lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio maioris extinguit.

Quanto autem voluptas ea, quae discendo sentitur, ceteris omnibus maior sincerorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse, ac taedium, confitentur; huius ut quisque percepit plurimum, ita cam aretius, atque avidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Crysippus, qui saepe studio intentus tanta voluptate fruebatur, ut eum, tanquam extra se positum, cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat sollertissimus ille caelestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis di-reptione, ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium saeculorum admiratione dignissimam! Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, aetatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undique gladiorum fulgor praestringebat oculos; undique armorum sonitus; undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum eiulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitis, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs pene dimota, et convulsa sedibus suis, suorum civium in caede ac sanguine natabat, quum unius hominis mens in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero accepimus, quum in lectulo, morti proximus, decumberet, inaudissetque assidentes amicos, de re quapiam, summisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, iam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatus; sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita iucundiorem fore. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto; vicinitate iam mortis pene corporis partibus sensus abscesserat; egregius ille animus mox liber ac solitus futurus, e corporeis vinculis exsilire

cupiebat, quum quidquid supererat virium, eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque interruptis ac morientibus, suum doctrinae, cogitationisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse; qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Atheniensium respublica, quamdiu tam praeclarari viri tenuit disciplinam. Sed, ut eo redeamus, unde nos facta praeclarissimorum hominum mentio paulisper abduxit, dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi (vos enim, vos mea iam compellabit oratio), dici, inquam, non potest, ea studia, in quae nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis, et ornamento, et auxilio futura sint, quum vos, et generis vestri nobilitas, et vestra virtus ad reipublicae gubernacula admoverit. Etenim quibus artibus civitates praecepit conservantur, pietate, iustitia, fortitudine, imprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prorita monumentis. Neque vero haec a me ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum, civem patriae utilem esse neminem posse; sed hoc dico: nisi litteris exculti sunt ii, qui, velut in reipublicae puppi sedentes, clavum tenent, multis eos munera sui iisque praecepit partibus necessario defuturos. Nam quum duo publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile est, alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium, quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus iura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, ciuium inter se dissidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere, praeterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre, et ex aliis alia colligere poterit, nisi qui haec sibi de litterarum fontibus haurienda omnia existimat? Nisi vero eorum recipienda sententia est, qui fieri putant posse, ut qui reipublicae praeest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T. Manlium Torquatum, memoriae proditum est, quum consul declaratus fuisse, excusasse valetudinem oculorum, et summum imperium detractasse; quod indignum duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur, qui alieno ingenio, alienaque lingua ad omnia uti necesse habebunt, ii satis ad gubernandos ceteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere, optimeque consulere; quales in fabulis Tiresiam, in historiis Apium legimus: cuius vero doctrinarum luce carea animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare praeclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui quum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus et honestam imprimis et utilem esse fateantur, iidem tamen, quum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, et inter tubarum li- tuorumque clangorem, nullum sui amplius praebere

sum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, et quantum vel in medio bellorum tumultu litterae valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, um isti fortasse aliquid dicent: nunc quis est, qui quum mihi et maximum esse in bellis consilio ac prudentiae locum, et eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certe quidem insigniter augeri, confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? An ignoramus celebre illud regis Agamemonis votum, qui ut Troia facilis potiretur, non Achillis, aut Aiakis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura praescripti ea longitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit: itaque qui unum alterumve spectant, multum sibi militaris prudentiae collegisse existimantur. Quid eos iudicabimus, qui hoc sibi diurna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam, rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At haec omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima ac pulcherrima, otiosi ac sedentes consequuntur. Taceo, quam multa expressa sunt eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriae; de animorum aeternitate, de praemiis, quae post mortem manent eos, qui se pro patria animose ac fortiter gesserint; quae tantam vim habent, ut neque qui ea ignorant, verae laudis habere gustum, neque qui tractant, verae ac solidae gloriae ullam omnino rem anteferre possint. Qui illud, an non quantivis est, quod saepe labentes iam ac deficientes exercitus eloquentum hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedaemoniorum civitas, cuius exercitus Tyrtaei poetae versibus inflammatus, pulcherrimum illam de Messeniis victoriam reportavit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus praestiterunt, aut fortissimos Imperatores, qui eruditionis et doctrinae gloria excelluerunt, enumerare instituam. Nam, et Architam Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, et Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, et ter stipendia fecisse Socratem, et Platonem, et Xenophonem egregiam in bello civibus suis operam praestitisse. Quid illa propugnacula Graeciae, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani Imperii columna, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles proferam? Quos omnes quum bellicis laudibus claros, tum praestantes doctrinae studiis fuisse, historiae loquuntur. Nam Iulium Caesarem, quis nescit, utra laude praestaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem, quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa

nocte, quae mortem ipsius antecessit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties dicitur. Atque hoc praeclare olim intellexisse videntur Mitylenei, praecipuam esse in republica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, nulla eis aliam poenam irrogabant, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cuius rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, cives, quod viget hodie vestra republica, quod floret, quod beata est, quod quum seterae orbis universi partes gravissimis bellorum tempestatibus agitantur, una haec (quod ei Deus Opt. Max. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri creditis, quam quod ei et praesunt homines cum ceteris omnibus, tum hac eruditionis et sapientiae laude clarissimi, et semper eorum simillimi praefuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia et dicta et cogitata praeclara. Tu dicere solebas, tunc demum respuplicas beatas fore, quum eas aut philosophi coepissent regere, aut qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetua iam mille amplius annorum felicitate Venetorum Respublica comprobavit. Evidem quo longius in altum invehor, patres amplissimi, eo mihi amplior et patientior orationis quasi cursus ostenditur. Sed et temporis me ratio, et vestra singularis sapientia, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quemquam de litterarum praestantia fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius, aut copiosius, quam unumquemque vestrum secum loqui, et mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra societas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut si forte minus a me ornatae aut copiose dictum est, quam ut huius loci amplitudo, et summa audientium dignitas postulabat, meum tamen idecirco, placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem si non indignus a vobis, qui saepius audiar, iudicer, erit quod mihi magnopere gratuler; sin forte; sed reprimam me, neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari, qui tamen a tot, tam praeclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non huius modo laboris, sed totius anteactae vitae fructum hodierno die vestro singulari beneficio videor consecutus. Dixi.

Ineuntis aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est.

CIC., *De offic.* I, 34.

Virtus est vitium fugere, et sapientia prima  
Stultitia caruisse,...

HORAT., *Ep.* I, 1.

Sera nunquam est ad bonos mores via.

SENEC., *Agamemn.*, act. II.

## HORAL SUBSECIVAE

### CONSTANTINI MAGNI SOMNIUM

*Occiduas iam prona dies festinat ad undas,  
Et nox tellurem obvolvit nigrantibus alis,  
Cum Constantinus, caelesti laetus honore,  
Prodigoque Crucis, iam fessa dat ossa sopori.*

*In somnis illi sese, pulcherimus ore,  
Bisgenitus Natus manifesta in luce videndum  
Offert, festiva aligerum stipante corona.  
Tegmine fulgenti et variis distincta figuris,  
Candida eum vestis tenui circumdat amictu;  
Sceptra tenet dextra, diademat tempora fulgent.  
Leniter aridens, miti sic pectore fatur:*

*«Maxime Gallorum dux, si solvere gentem  
Nexibus hesperiam duris, regnoque superbo  
Est animus, nostris facilem da vocibus aurem.  
Tessera Christiadum, medio quae pendula caelo  
Apparet vobis, diffulgens solis ad instar,  
Vexillum sit pugnae, sperataeque salutis  
Pignus. Crede mihi: vires, animique vigebunt  
Illius adspectu: frustra Maxentius ipse  
Tela parat, frustra bellum committere tentat.  
Ah! nimium infelix! nec dum implacabile sentit  
A tergo funus, crudelia stamina rumpens.  
Ligneus, armorum et fugientum pondere pressus,  
Praecipitat pons, absorbet Tibris unda tyrannum.*

*Libertas tandem inde meis cultoribus orta,  
Relligio terris cunctis dominabitur altrix,  
Fraterno populi iungentur foedare amoris.  
Macte animis esto: sum magno aequaeva Parenti  
Progenies, quae mortali sub imagine missa  
Humanum genus aeterna de morte reduxi,  
Optatamque dedi mundo per saecula pacem.  
Ne dubites, quaeso, longos perferre labores,  
Me duce, nec saevis caput obiectare periclis,  
Iam tibi laeta parat memorandum Roma trophyum».*

*Attonitus Caesar visis, dictisque benigni  
Numinis, ex oculis somnoque et nocte fugatis,  
Corripit e stratis corpus supplexque supinas  
Ad caelum palmas humili cum voce tetendit:*

*«Deliciae, Iesu, et summi Genitoris imago,  
Aequo Deo Deus, atque salus mortalibus aegris,  
Ecquis condignas poterit Tibi reddere grates  
Munere pro tanto? Unde mihi tam mira parantur  
Dona? Utinam, Deus alme, tuum vitale lavacrum  
Accipere hic liceat, niveas et cingere uestes.*

*Verum cum nobis nondum haec concessa facultas,  
En tibi perpetuo memorem spondemus amorem  
Atque palam meritos indicimus undique honores:  
Undique Christiadis consurgant templa decora,  
Quae prece ferventi resonent et carmine sacro.  
Ius, legesque tuas noster tutabitur ensis».*

*Vix ea fatus, longe alios in pectore sensus  
Concipit; haud mora, mox cunctos iubet ipse morantes*

*Acciri armatos, atque ordine castra teneri.  
Continuo properant iussi; mox aequore toto  
Belligerum glomerata manus futgentibus armis,  
Et late instructis campi legionibus horrent.  
At Caesar, sublimis equo, mirabile pandens  
Vexillum, arcano Labari de nomine dictum,  
Et Cruce, perfusa gemmis auroque, coruscum:  
« Hoc, - inquit - signum donat Regnator olympi:  
Sub Crucis auspicio, ut formis spectatis in ipsa  
Expressum auratis, victoria certa sequetur;  
Nam dabitur Christi atque hostes submittere rostros,  
Et nova felici procedere tempora cursu ».*

*Exsultant cuncti et laeto clamore salutant  
Aethereum pignus, tibi grates, dive Redemptor,  
Persolvunt, nomenque tuum laudesque canentes:  
« Crux io - convalles geminant, saltusque propinquui -  
Per te victores erimus, venietque triumphus ».*

*Talia dicta dabant; ardentina vota coronat  
Eventus felix; Christi promissa supremo  
Nota duci implentur; portentum insigne bis octo  
Saecula testantur, nec non solemnia cultu  
Insuelo, totum hoc anno renovata per orbem.*

*Det Christi Sponsae, Omnipotens, ut ubique locorum  
Plena pace per aevum et libertate fruatur!*

I. VITTORI.

## DE LEONE XIII P. M. COMMENTARIUS<sup>(1)</sup>

Quapropter id inter omnes convenit, Leopoldum, ut erat experrecta mente et strenua, si ad optimates potius respexisset, summi et perfectissimi Principis laudem apud aequales habiturum fuisse.

Ita erant res quum Ioachimus Pecci ad Leopoldum pervenit. Qui humano vultu iuvenem Pontificis Maximi Nuncium accepit, et vix eum agnovit pietate et doctrina insignem, cum paterna paene benevolentia eum est prosecutus. Etsi in ipso aetatis flore erat, archiepiscopali dignitate ex more honestari eum voluerat Gregorius XVI, qui maximam sibi ac religioni felicitatem et decorem ex eius legatione fore sperabat.

Illuc enim totis viribus nitebatur, et magni operam eius futuram esse confidebat, si Nuncio industria atque prudentia tantum Principem sibi conciliare potuisset, et ita rebellantibus a sancto religionis iure obstitisset, ad quorum arbitrium pleraque in Belgis iamdiu geri videbantur. Et ipse vel in primo suo adventu ita sibi eum amicitia devinxit, ut nihil carius iam haberet quam eius voluntati pro viribus obsequi. Cives quoque primores alloquio, benignitate et ipsa vultus dignitate, quam recte romanam dixeris, mitissimoque animo sibi facile adquisivit. Multum praeterea in iudiciis privatis

versabatur, saepe in Episcoporum conventum prodibat; nulla res maior sine Pontificis Nuncio gerebatur; hic celeriter quae opus erant reperiebat, facile eadem oratione explicabat.

Neque minus in rebus gerendis promptus quam excoigitandis, quod et de instantibus verissime iudicabat, et de futuris callidissime coniciebat. Quo factum est, ut brevi admodum tempore illustraretur et maxime omnibus adprobaretur.

Sui tamen consilii, saeri Romani principatus adsiduus vindicta egregium civilis prudentiae sese exhibebat specimen, et gentes catholicae professionis a potentiorum iniuria sollerter prohibebat. Sapide tamen se identidem gerebat. Namque civis in primis romanus, argutia saepe sapienterque vel in aulicis conventibus utebatur, ut adversariorum iactantiam lepide contunderet.

Sed temperatae suavesque erant, quae nunc Martiale redolebant, nunc Iuvenalem in eos qui perniciem Nomini christiano minarentur; et aptis omnino verbis multoque acumine hominum mores et ingenia describens velamine quodam sapienti corripiebat, eaque simul dictione atque elegantia, quae ad caelum laudibus ferebatur. Sic autem gallice loquebatur, ut Parisiis natus videretur; tanta insuper suavitas huius sermonis, ut appareret in eo nativum quemdam leporem esse, et non adscitum. Eiusmodi verba salibus romanis adspersa, diu per ora hominum iocose volitabant, quae ex aula per vicos passim et per fora vulgo ferebantur. Subridens aliquando *fortius et melius plerumque se-cabat res*. Quo facto nomen Nuncii Pontificalis omnium sermone laudabiliter longius ferebatur.

Quum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discedebat, quam ad finem sermo esset adductus. Erat etiam tunc disertus, ut nemo ei par esse videretur eloquentia, neque minus concinnus in brevitate respondendi quam in perpetua oratione ornatus.

Quod quidem maximi habebatur in Belgis, qui quum populari potestate admodum regantur, omnis res publica libero ore defendi atque actitari consuevit. Eloquentia enim res omnes ad bellum, ad pacem, ad leges, ad iudicia spectantes agebantur; atque plures qui ad munera publica sibi viam munirent, et pulcri sensui magis adsuescerent, ad eius consuetudinem moremque deducebantur.

Quamobrem ipse rex verbis et scriptis etiam atque etiam Nuncii eloquentiam admiratus, omnia ei in posterum felicitatis omina honorumque auspiciabatur.

Interea omnium maxima inter cives exorta erat contentio, in qua vigentem se ac parem negotiis ostendit. Etenim pacem atque aequitatem suadendo fortiter adversariis restitit, et sollertiae praesertim laude inclaruit. Quaedam enim impiorum placita de puerili institutione per speciem libertatis eo potissimum spectabant, ut Belgica soboles in neutram veluti partem abrepta,

(1) Cfr. num. sup.

quam de fide sanctissima esset quaestio, ad impietatem subdole traheretur. Ipse pericula, erroresque portendens, rectam atque germanam christianorum sapientiam liberrimo ore, suffragantibus episcopis, adnuente populo, adseruit.

In hisce rerum adiunctis praesertim egregia viri sapientia enituit. Atque scitus, disertus enarrator in proposita inopinata difficultate, suorum commodis humanissime inserviens, atque religionis iura mirum in modum omnique tempore adserens, omnium sibi benevolentiam atque admirationem magis in dies conciliaverat.

Sic se res de Ioachimo Peccio apud Belgas habebant, quum ex improviso Romam vocatur, ad regendam Perusinorum Dioecesim.

#### VII. — Episcopus Perusinorum et Pater Cardinalis.

Narratur Probus, olim Aemiliae praefectus, Ambrosio Mediolanum proficiscenti, gravibus discordiis dilacerata ob Arianam pravitatem, dixisse: «Vade, age non ut iudex, sed ut Episcopus». Qui pro officii sui munere templum ingressus, et ut commotam civitatem sedaret, quum multa de quiete et tranquillitate reipublicae praecclare diceret, de repente puero Ambrosium Episcopum exclamante, universi populi vox erupit Ambrosium depositentis.

Id propemodum Ioachimo Peccio Perusii accidit. Namque, etsi nunc erat orator apud Belgas, adhuc tamen ob praeclaras ingenii virtutes Perusini est ita carus atque acceptus, ut ubi primum I. Sabattinius Episcopus, omnibus flebilis desideratus est, universorum consensu eum sibi cives Episcopum postulent, eumque enixa precibus a Pontifice Maximo exoptent. Etiam nunc erat in terris Gregorius XVI, qui laetus omnino quem antea miserat Legatum praetoria potestate, nunc Episcopum postulari, facile admodum assensit.

Ipse legatione Belgica decedens, claris iam familiaritatibus florens, peragratiss celebrioribus Europae urbibus, Romam rediit, quum Pontifex gravi morbo tentatus placido exitu ad sedes caelestium emigravit. Religioni fuit ipsi in urbe morari in diem quo, incredibili Romanorum laetitia, Pius IX Pontifex Maximus est designatus, regnumque sibi demandatum suscepit. Tunc denique vel inter cives romanos gaudio gestientes, difficiliora tempora mente praesagiens, ad sedem honoris sui festinanter se contulit.

Rem adgredior illustrem, gravissimam, quaeque tam late patet, ut vix aliud argumentum queat excogitari, in quo sibi magis amplissimus quisque orator placeat atque exultet.

Non iam amplius ignotus, sed omni cuique probatissimus, universis civium ordinibus adelamantibus, peramanter accipitur, eique omnia fausta a superis omnes adprecantur.

In sacro munere obeundo ita est versatus, ut optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen

se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se his dedissent, quam qui maritimis iactarentur.

Itaque vix rerum potito, nihil sibi potius fuit quam ut viros legeret divina et rerum usu spectatissimos, qui ipsi essent adiumento. Ut egenis feliciter leviterque prospiceret, qui civitatem saepe deturpare solent, receptus aere collato brevi constituit, ipsis custodiendis alendisque, annuo quoque proventu adtributo: ludos publicos pueris aperire, virgines lectissimas Deo devotas arcessere ad pueras tutandas, instituendas, ut vel a prima aetatula honestis artibus imbutas, ipsa virtutis illecebra potius quam legum metus a maleficiis deterreat. Ad haec Episcopi providentia quoque cautum est, ut in pagis robusta et valens tunicata pubes innocentissimis maiorum institutis addicta, antiqui moris candorem tueatur.

Sed indica lues, quae immodice in urbe grassatur, haec omnia commoda commiscere eiusque consiliis obluctari coepit.

Eius vero prudentia, ne aegrotantibus vel remedia deessent vel adiutorium, magno opere nititur, ut sacerdotes vel commodiores cives vestigiis eius insistentes, suique securi ac divino numine freti, amplissimam morbo percussis opem ferant. Nihil hoc gravissimo tempore intentati reliquit, ut miseri curis recreentur, salutem recipient, et omnibus studiis, medicorumque prescriptionibus, ne magis morbus inter suos vagetur incombuit, quo factum est, ut lues brevi acriori gravitate caruerit, atque in dies admodum desierit.

Sed grave malum gravius excepit.


Iam eae res in Italia agitantur, quae omnium quietem perturbarent. Nam motus populares et seditiones in proximiori Hetruria, omniaque, quibus patres nostri interfuerunt, ominabantur. Lenes primo rumores, adveniente anno millesimo octingentesimo nono et quinquagesimo, et mox factiosi homines callide libertate abutentes, atroces in principis maiestatem cooruntur.

Indignis honores, imperia, sacerdotia exprobrare, communem libertatem queri, senescentis sacri principatus vices dolere: atque iam tempus adesse ut omnes simul populi diversarum Italiae regionum ab stirpe similes iisdem et legibus in unam gentem coalescant. Multi libertina audacia praediti, in urbem irrumpere, et omnia quaestui habentes et aliorum divitiis, uti ex hostibus praedae palam inhiantes. Parum abfuit, ita nimurum ferentibus Perusinorum fatis, quin exactis civitatis rectoribus, in alterna vulnera, tamquam ad tristes inferias, se mutuo converterent.

Tunc perspicue adparuit Peccii prudentia, qui in tanta rerum hominumque commotione, verbis, praesentia, consilio inter ipsa pericula inclaruit, maioremque suorum sanguinis effusionem prohibuit.

*(Ad proximum numerum).*

# DE VETERUM BALNEIS



Atrium thermarum Caracallae in integrum restitutum.

Populi, qui prisca aetate floruerunt, iam inde a remotissimis historiae suae temporibus in heroum vita narrationes plures inseruere, unde aquae pretium ostenderetur; ingeniosisque fictionibus balneorum utilitatem exprimentes, ponto, flumini cuique, singulisque paene fontibus suum numen tribuerunt. Quin etiam, teste Ibyco, Herculem effinxerunt calidi lavacri inventorem, quibus diurno labore defessus uteretur, sive Vulcano, sive Minerva id remedium ei suadente.

Homerus saepenumero de balneis loquitur tamquam de praecipuo hospitiis officio; Hippocrates mirus ille vir, cuius opera, argutis sapientibusque animadversoribus et iudiciis redundantia, etiam nunc admiramus balnea innumeris morbis mederi optime monuit; Plinius denique metallicae aquae venas non immerito, et quasi nostra tempora praevidens, « urbem condere » scripsit.

Scimus Lacedaemone civibus omnibus quotidianam in Eurota lotionem lege iussam. Graecia capta etiam

balneorum usu ferum victorem cepit, et ipsa aquarum publica aedificia agresti Latio intulit; quae « balineae » appellata sunt, atque magnitudine et splendore Graeca superarunt.

Sic Antonius Caracalla thermas suo insignes nomine struxit, quarum cellam solearem, id est in qua forent balneo destinata solia, negarunt architectonicae consulti, ulla posse exprimi imitatione. Nam ex aere vel cupro cancelli fuere superpositi, quibus concameratio tota concrederetur. Atque Diocletianus Romae, Maximianus Carthagine ac Mediolani, thermas pariter eas instituerunt, quarum vestigia, ad nostros usque dies admiranda, aedificiorum et vastitatem et magnificentiam apprime indigitant.


\* \* \*

Ex iis, et maxime a balneis Pompeiis detecta, licet huiusmodi aedificiorum rationes atque dispositionem deducere.

Plures erant aditus, quorum alii iis qui ad aquas venirent, alii famulis, unum denique mulieribus, quae balineas suas habebant a viroorum omnino separatas.

Ostium in atrium immittebat, amplum satis columnisque decorum, et subselliis plerumque iuxta latera munitum, in commodum sive servorum domini redditum exspectantium, sive generatim civium, quibus aliqua de causa illuc esset commorandum.

Prope, cubiculum erat, cuius non satis liquet usus, utrum procoetonis, an balneorum moderatoris.



Termarum Caracallae forma.

Cryptoporticus ad « apodyterium » ducebat, conclave scilicet ubi vestes deponebantur. Inde ad « frigidarium » accessus, cuius in medio « baptismus », hoc est aquae frigidae piscina, patebat. Sequebatur « tepidarium »; quo in conclavi aer tum per candentes carbones, tum per vapores aptis cuniculis immissos, ad certum caloris gradum sustentabatur. Tepidarii usus duplex; alter ad impediendum, ne transitus a thermis ad caelum nocens corpori fieret; alter ut corpus post lotionem per servum, cui « alipta » nomen, et destringeretur et unguentis oblineretur.

Hinc ad « caldarium » aditus, duobus partibus di-

qua cruditates digererentur ac solverentur. In laconici denique centro vas erat grande latique oris - « labrum » - aqua repletum, qua lutor sese aspergebat, effusum sudorem a se abradens.

Simili prope modo balnea privata disposita erant, quorum nomen, ut a balineis, h. e. publicis balneis (« thermae » etiam vulgo nuncupatis) distingueretur, singularem numerum continenter retinuit. Quamquam « balneum » de nobilibus ac divitibus aedificiis proprie dicebatur; « lavatrina » de dimissoribus, constans plerumque cubiculo cum supellecili ad corpus ablendum idonea.



Thermarum Diocletiani ruinae (Ex tabula, quam aere cusit PIRANESIUS).

stinctum, « alveus » et « laconicum »; altera, constabat fossa cavata ex lapide, vel etiam structili, suos gradus intus habente ad descendendum, et pulvinum ad innundandum; altera - ita appellata quoniam a Laconieorum moribus infecta, - locus erat cameratus, in quo sicco calore sudor provocaretur. Accenso enim igne sub ipso pavimento, quod eam ob rem vacuum instruebatur et suspensum - « hypocaustum » dicebatur - flamma et calor per tubulos in ipsum laconicum ascendebat et ad summam camerae curvaturam; in cuius medio foramen aperiebatur, clypeo aeneo catena apto obstructum; quo clypeo remisso, patebat calori aditus, ut ad superiora consenderet, aestumque laconici minueret; reducto, omnis calor in laconio inclusus vim suam augebat, atque hac ratione temperatura sudationis perficiebatur,

\*\*

Romano imperio in ruinam collapso, in ruinam quoque sumptuosae thermarum aedes ceciderunt.

Medio quod appellamus aevo, nedum balineae, ne balneum quidem in domibus, ipsisque in principum castellis, nobis offeruntur. Ut ad novam vitam Romanorum balnearum morem revocatum inveniamus, ad renatarum tum litterarum tum artium aetatem venendum est; quo tempore iterum cubicula ad lotiones et balnea comptissime marmore atque picturis decorari coepta sunt, quemadmodum Romae in domo Cardinalis de Bibbiena apud Vaticanum, et Clementis VII P. M. in castro S. Angeli magna cum admiratione videre adhuc licet.

## COLLOQUIA LATINA

## Accusatio varia scholastica. (1)

SCHOLAE IANITOR. — At, at, ecce, nunc capti estis: nonne, absente magistro, dum vobis silentum est, confabulamini?

CLEMENS, DISCIPULUS. — Certe fatemur ingenue; sed te, quaeso, ne velis nos magistro notare.

I. — Ergo conticescite; connivebo. Heus tu, Praeceptor adest.

C. — Quid tum?

I. — Respice ad illum.

C. — Quamobrem?

I. — Ut ei caput aperias et venientem salutes.

C. — Sic decet; sed adhuc cogitabam.....

I. — Clarissime domine, admonitione mea non desinunt tumultuari.

MAGISTER. — Quinam auctores sunt turbarum?

I. — Felix iam inde ab ingressu suo nihil aliud quam garrivit; Gregorius sursum deorsum de scannis saltat.

GREGORIUS. — Placetne ut respondeam?

M. — Quid dices?

G. — Felix exturbavit me de loco meo, et protrusit cubito, ut de scanno deciderem.

FELIX. — Atqui mihi Gregorius decussit pileum.

I. — Ita se res habet, Magister; Gregorius prior Felicem adortus est.

F. — Quin imo mihi minatus est verbera.....

M. — Siccine?

F. — Prodi, inquietabat, e schola in plateam: impingam tibi alapas; omnes dentes labefaciām tibi.

M. — Novi te ego, Gregori, quam sis petulans: dabis mihi poenas.

CAESAR, DISCIPULUS. — Praeceptor, Remigius mihi assiduo crines vellicat.

REMIGIUS. — Ille a tergo imponit scanno pedes, et chlamydem meam calceorum luto contaminat.

C. — Nonne, tu, Remigi, rapuisti e manibus meis pensum et concerpsisti?

R. — Et tu nonne modo conspuis libros meos, modo atramentum adsperrgis scripturae, et foedas maculis chartas meas? Non sinit me momento esse quietum.

M. — Mox ego adero vobis, et faciam una castigatione altercandi finem. — Alberte, quis tuam sic unguibus laceravit faciem? Videris cum felibus concurrisse.

ALBERTUS. — Acceptum id refero Gaspari nostro.

GASPAR. — Prior me invasit; ego me defendi, Domine: pulsabat me quantum poterat.

A. — Evidem iocabar; at ille serio agens deiecit me in terram, et excussa palma os meum pulsavit ad satietatem.

M. — O Gaspar, Gaspar, tuam istam semel compescam lasciviam! — Tu autem, Ianitor scholae et Custos, nihil praeterea ante meum adventum effrenis de hisce adolescentibus observasti?

I. — Simon et Henricus ante fores singulare certamine decertarunt.

M. — Audiamus eventus pugnae.

I. — Ponunt utrinque pallia et libros humi: consistunt altrinsecus: librant brachia et pugnos. Sine mora involarunt, et se invicem pugnis ceciderunt. Circumfluunt pueri, suclamant; risus tollitur inconditus: turbae fuent mirabiles.

M. — Uter victoria potitus est?

I. — Uterque mulctatus est probe: Simon enaribus cruorem emisit; Henricus oculum plagis lividum retulit.

M. — Belle! meae nunc sunt partes, ut pacem conciliem.

I. — Lu licra fuit velitatio, Domine: non agebatur de capite.

M. — Nec in schola, ubi redierint, agetur de capite, sed de poena.

BENEDICTUS. — Redde mihi meum Cornelium, Donate.

DONATUS. — Quem Cornelium repetis?

B. — Meum; abstrusisti quopiam.

D. — Hodie nunquam vidi.

B. — Immo clam surripuisti.

D. — Magister, ait Benedictus me sibi furto abstulisse Cornelium Nepotem.

M. — Fecisti necne?

D. — Hoc ut fecerim? Malim egere indigne, quam clepere.

B. — Fabulae! Idem nuper suffuratus mihi est chartam de capsula: deprehendi in facinore.

D. — Mutuabar modo; aliam deinde restituī.

M. — Iacebit fortasse sub scanno de quo litigatis Cornelius.

B. — Investigavi; non inveni.

M. — Excute pallium et peram: alicunde excedet.

D. — En, Magister, iacet ante pedes. Nempe ego abstuleram? Agam iniuriarum.

NATALIS; DISCIPULUS. — Siccine, Gratiane? Scribis pensum in schola?

GRATIANUS. — Quid tua id refert?

N. — Deferam te ad Praeceptorem.

(1) Ex dialogorum libro Antonii Van Torre passim retractavit I. F.

G. — Id ego curo scilicet ! I, curre ; non tamen feceris impune.

N. — Neque has minas adeo Magistrum celavero.

G. — Dic quidquid in buccam venerit ; non labore.

MARTINUS, DISCIPULUS. — Decuriae praefectus nostrae notavit me signo ignorantiae.

VITUS, DISCIPULUS. — Merito : ad singulos versus haesitas.

M. — Immo non amplius his me fefellit memoria.

V. — Certabo quovis pignore ignorare te lectio nem : sit Magister arbiter.


MAG. — Quid deponis, Vite, si citra errorem reddiderit ?

V. — Ego pro illo luam.

MAG. — Dura conditio : sed quid si causa cadas ?

V. — Evidem stabo conventis.

MAG. — Periclitemini.



## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

### Nuces relinquere.

Nuces relinquere est, omissis studiis ac nugis puerilibus, ad graviora magisque seria converti. Persius :

.... Et nucibus facimus quaecumque relictis,  
Cum sapimus patruos.

Translata metaphora a vetusta nuptiarum caeremonia, in quibus sponsus uxorem dicens nuces spargebat, utpote iam pueritiae renuncians. Ita Catullus in carmine nuptiali :

*Da, puer, propere nuces.*

Et Virgilius in *Bucolicis* (ecl. viii) :

*Sparge, marite, nuces.*

Quamquam Plinius (lib. XV, cap. XXII) causas alias affert, quam ob rem nuces in nuptialibus caeremoniis consueverint antiquitus adhiberi. Sed praestat ipsius referre verba : « Nuces, - inquit - inglandes, quamquam et ipsae nuptialium Fescenninorum comites, multum pineis minores universitate, eaedemque portione ampliores nucleo. Nec non et honor his naturae peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quae causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis foetu munito, quod est verisimilis, quam quia caedendo tripudium sonumve faciant ».

Festus item indicat, in nuptiis a pueris nuces pargi solitas, ut novae nuptiae, intranti domum novi

mariti, faustum esset auspiciu[m]. Addit Servius pueros catamitos, quum resipiscerent, solitos nuces spargere, significantes se posthac omnia puerilia spernere. Vel hinc igitur, vel certe a puerorum lusibus, qui nucibus peraguntur, ductum proverbium videri potest. Nam talis ac nucibus olim lusitasse pueros, vel Horatius testis, quum ait : « Te talos, Aule, nucesque ».

Proinde ad hanc proverbii formam pertinebunt et reliquae illae figurae : Nunquam a nucibus recedere — Redire ad nuces — Nuces abiicere — Nuces intermittere — Nucibus indulgere — Nuces repetere, etc.

### Bis pueri senes.

Una est ex illis proverbialibus inscriptionibus satyrarum Varro. Quadrabit in eos, qui provectiore quum sint aetate, tamen puerilibus quibusdam studiis intempestiviter detinentur. Aut in senes aetatis vitio desipentes, tamquam iterum in pueritiam revolutos. Seneca : « Non - inquit - bis pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper; verum hoc interest, quod maiora non ludimus ». Plato, in libro de republica I, habet quae latine redditia sic sonant : « Non solum igitur senex, ut videtur, bis erit puer, sed ipse etiam temulentus ». Et Aristophanes in *Nubibus* : « Pueri, inquies, tibi videri facinus illud esse. Respondeo ipse contra, senes bis esse pupos ».

Sophocles autem in *Peleo* : « Ego Peleum Aeaco fatum, pueri in vicem, senem puella moderor atque temporo. Nam iterum puer quisquis senescit redditur ».

Theopompos : « Pueros bis esse recte senes dicuntur ». — Antiphon : « Senem nutrire perinde est, quasi nutrices puerum ». — Lucianus : « Sic enim fiet, ut verum videatur adagium, quo dici solet, senes rursum repuerascere ».

Huc pertinet quod in libro *De lingua latina* III scribit Varro, identidem in Atellanis haberi pupum senem, quod Osci suapte lingua vocent *casnar*; nam veteres pupum vocabant puerum. Neque vero proverbium ideo tantum esse dictum, quod senes aetatis culpa desipiscant; verum etiam quod omnibus modis in senibus iam velut exacta vita ad initium recurrere videntur, quemadmodum scire dixit Aristoteles in problemate quodam, in quo quaerit quoniam pacto sint accipienda quae priora dicuntur, ac posteriora. Primum enim redit albor simul et raritas capillitii, quorum utrumque pueris familiare; deinde balbuties, velut altera infantia. Praeterea gingiva exarmata dentibus, aut certe perpaucis, et eis vacillantibus instructa, quod et ipsum cum infantibus commune. Quin etiam senibus omne corpus ad puerilem decrescit modum: consimilis virium imbecillitas. Iamvero cibi quoque

consimiles utrique congruunt aetati. Postremo morum ineptia, levitas animi, et hoc ipsum nihil sapere in senibus infantiam quamdam referre videtur. Auctor est enim in *Politiciis* Aristoteles, post annos duodequinquaginta ingenii vigorem evanescere coepisse. Unde fit ut senes pueris mire delectentur, quasi similes ad similium amorem propensi.

### **Unus vir, nullus vir.**

Sensus est, nihil egregium praestari posse ab uno homine, omni auxilio destituto. Huc pertinet quod ait Euripides in *Heraclidis*: «Solitariae manus invalida pugna est». Item illud eiusdem: «Vir unus haud videt omnia».

Poterit ad varios usus deflecti proverbium: vel ad insuavem vitam, si non adsit convictor amicus; vel ad iudicium haudquam uni committendum; vel ad studium litterarum, quod citra socium et eiusdem, ut aiunt, aemulum Musae, plane friget; vel ad quodvis denique peragendum negotium, quod citra alterius adminiculum commode confici nequeat.

Adagii mentionem facit Zenodotus.

### **Asinus inter Simias.**

Ubi quis incidit in homines nasutos et contumeliosos, ipse stolidus, a quibus impune rideatur, dicitur Asinus inter Simias.

Exstat paroemia apud Aulum Gellium (lib. II, cap. XXIII); constat autem simiam animal esse petulantissimum, adeo ut non vereri dicatur etiam leonem agitare. Dicunt etiam vulgo: «Noctua inter cornices», ubi stupidior aliquis in homines petulantes ac dicaces incidit. Nihil vero vetat quominus generaliter usurpetur ubi quis in negotium incidit vehementer molestum, aut in infortunium aliquod, unde se non queat exsticare.

### **Ungibus notari.**

Dicitur quod soleat ungue signum apponi, ubi quid parum placet. Horatius dixit: «transverso calamo signum apponere» pro eo quod est: «damnare». In eundem sensum «Censoria virgula» legitur identidem apud S. Hieronymum pro castigandi notandique auctoritate. Item apud Quintilianum (*Inst.*, I): «Qua quidem ita sunt severe usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare», etc.

A censoribus Romanis traductum, quorum partes erant notare si quid in moribus civitatis dignum emendatione iudicassent, ac multam dicere.

Eodem pertinent spongia - lima - caelum, quae in emendationis proverbium abierunt. Spongia deletur, quod non placet; lima detrahitur atque expolitur quod redundat, quodque incultum est; caelo deformatur item ac fingitur id quod est rudius. Proinde in spongiam incubuisse dixit Augustus

Aiacem suum, quem deleverat, et sculpturam orationis cultum dicunt, etc.

### **Sus tubam audivit.**

In eos quadrabit, qui res quidem egregias audiunt; verum eas neque intelligunt, neque mirantur. Aut in eos, qui iis quae audiunt, neque gaudent neque commoventur. Equum tubarum clangor concitat ad bellum: suem abigit citius, quam animet ad pugnam.

Exstat apud Suidam de re senarius quidam, qui latine reddi potest:

*Asinus lyram, sus audiit stolidus tubam.*

### **Nihil graculo cum fidibus.**

Id est: Nihil stolidis et imperitis cum bonis litteris. Nam graculus avis est ineptae molestaeque garrulitatis, atque adeo obstrepera, ut a voce quasonat, nomen ei inditum putent, auctore Quintiliano (*Inst.*, lib. I). Tum sui generis conventus amat, quo mutuo garritu strepitus fiat odiosior; porro cithara fidesque silentium postulant atque aures attentas.

Aulus Gellius (*Noct. Att.* elucubr. postrema) hoc adagium torquet in quosdam pinguiore ingenio homines, stolidaque loquacitate praeditos, ac profanos, id est a Musarum sacris alienos.

## **EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS**

### **SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE**

#### **Ex Congregatione Consistoriali.**

*Decretum de sacerdotibus ad munus «deputati» in Gallia concurrentibus.*

Quum sub exitum huius anni finem accipiat in Galliis lex civilis quae vetat ecclesiasticos viros eligi ad munus «Deputatorum» in aula legislativa Reipublicae et ad alia similia officia, et idecirco sacerdotes in proximis futuris electionibus possint ad illa assequenda concurrere; quaesitum est a nonnullis locorum Ordinariis num adhuc vigeat dispositio a SSmo. D. N. Pio PP. X data per officium S. Congregationis a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis die 2 Aprilis 1906, qua statutum est nulli sacerdoti licere sese candidatum sistere ad memorata munera absque consensu proprii Ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt.

Porro, auditio Consultorum voto et re mature considerata, S. Congregatio Consistorialis respondendum censuit vigere memoratam praescriptionem pro omnibus cuiusvis ordinis et conditionis ecclesiasticis viris, etiam si forte antea munera praefata fuerint assecuti.

Ssmus. autem D. N. iussit hanc resolutionem publici iuris fieri, et ab eis ad quos spectat religiose servari.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die IX mens. Maii, MCMXIII. — Sign. C. CARD. DE LAI, *Secretarius.*

**Ex Congregatione Indicis.**

Per decretum d. XVI mens. Iunii MCMXIII damnantur, proscribuntur atque in Indicem librorum prohibitorum referuntur opera, quae sequuntur:

— LUIGI RENZETTI. *Lotte umane; romanzo di vita russa.* — (Roma, 1911).

SEBASTIAN MERKLE. *Vergangenheit und Gegenwart der katholisch-theologischen Fakultäten.* — (Akademische Rundschau; Leipzig Oct. et Nov. 1912).

— L. LABERTHONNIÉRE. *Sur le chemin du catholicisme.* — (Paris, 1913).

— *Le témoignage des martyrs.* (Ibid., 1912).

STEPHEN COUBÉ. *Ames juives.* — (Paris s. a.).

M. D. PETRE. *Autobiography and life of George Trel.* — (London, 1912).

H. A. VAN DALSUM. *Er is geene tegenstelling tuschen de beginsele van de fransche Revolutie en die van het Evangelie.* — ('S. Gravenhage, 1912).

Ex eodem decreto innotuit Henricum Bremond, decreto S. Indicis Congregationis, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus fuerat, laudabiliter se subiecisse.

**Ex Sacra Poenitentiaria Apostolica.**

*Declaratio circa Iubilaeum.*

Proposita quaestione: « An Iubilaeum indictum literis apostolicis *Magni faustique eventus*, datis d. XIII mens. Martii huius anni, pluries acquiri possit, si iniuncta opera repetantur », declaratum a S. Poenitentiaria est, prout alias, occasione praecedentium iubilaorum, « praedictum Iubilaeum, quoad plenariam indulgentiam, bis aut pluries acquiri posse, iniuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero, idest prima tantum vice, quoad ceteros favores, nempe absolutiones a censuris et a casibus reservatis, commutationes aut dispensationes ».

(Ex deer. d. VI mens. Iunii MCMXIII).

**DIARIUM VATICANUM**

(Mense Iunio MCMXIII).

**Coram SSmo. admissiones.**

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Bruno Chaves doctor, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Brasiliensis civitatis apud Apostolicam Sedem, officio functus suo; Angelus De Estrada doctor, ab Argentinensis reipublicae praeside ad Pontificem missus ad grates agendas quod Argentinensis civitatis centenariis sollemnibus recens habitis particeps et Ipse esse voluerit. Denique et in Consistorii aula et in cavaedio magno Vaticani palatii, cui nomen a S. Damaso PP., peregrinorum manipulis sive ex Italia sive ex exteris gentibus simul cum Romanis civibus congregatis pluries in mense sollemniter Sanctissimus benedixit.

**Peregrinorum adventus in Urbem.**

Per Iunium mensem, ad indulgentias Constantiniani Iuliae lucrandas, peregrini in Urbem advenerunt ex Hetruria, ex Liguria, ex Samnio, ex Campania, ex Monacensi principatu atque ex dioecesi Bergomensi.

**Pontificiae electiones.**

*Provisio Ecclesiarum.* — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesiae Matanzensi praefecit sacerdotem Carolum Warren Currien, archidioec. Baltimoren.; titulari eccl. archiepiscopali Chalchidensi revmum. d. Carolum Pietropaoli, hactenus episcopum Triventinum et nuper Delegatum apostolicum in ditione Venezuelana renunciatum; metropolinanae eccl. Varsaviensi sac. Alexandrum Kakowski, canonicum Varsavien. et rectorem academiae ecclesiasticae in civitate Petropoli; metropolitanae ecclesiae Viennensi sac. Fridericum Piffl, in saeculo Gustavum, abbatem Lateranensem ac praepositum canoniae Claustroneoburgensis; tit. eccl. arch. Metymnensi revmum. d. Thomam Fennelly, hactenus archiepisc. Cassiliensem; tit. eccl. episc. Cibyrensi sac. Sigismundum Wartz, professorem theologiae moralis in seminario Brixinensi, quem constituit auxiliar m revmi. d. Francisci Egger. episc. Brixinen.; cathedr. eccl. Dunkeldensi sac. Robertum Fraser, rectorem collegii Scotorum in Urbe; cathedr. eccl. Nicosiensi seu Herbitensi r. p. Augustinum Addéo, in saeculo Felicem, ex ordine Eremitarum S. Augustini, priorem in conventu S. Augustini, Papiae: tit. eccl. episc. Tiberiensi sac. Iacobum Sinibaldi, canonicum patriarchalis basilicae Vaticanae, rectorem collegii Lusitani de Urbe; cathedr. eccl. Venusinae sac. Angelum Petrelli, dioecesis Licien., parochum loci vulgo « Arnesano »; tit. eccl. episc. Modrensi revmum. d. Stefanum Iulium Gaxaniol, hactenus episc. Constantien.; tit. eccl. episc. Domitiopolitanae sac. Arthurum Bélieau, parochum cath. eccl. S. Bonifacii, quem constituit auxiliarem rmi. d. Ludovici Philippi Adelardi Langevin, archiep. S. Bonifacii; cath. eccl. Constantiniensi sac. Iulium Alexandrum Leonem Bouissière, archidioec. Albiens., vicarium generalem Oranensem.

Brevi autem apostolico nominati sunt: Episc. tit. eccl. Gortiniensis et coadiutor cum futura successione archiep. Wellingtonensis r. p. Thomas O' Shea, Societatis Mariae alumnus; episc. tit. eccl. Milopotamensis et Vicarius apostolicus Guamenensis r. p. Augustinus ab Artesa de Segre, in saeculo Ioseph Bernans et Serra, ex ordine Minorum Capulatorum; episc. tit. eccl. Myndensis, cum munere ordinandi clericos Maronitas in Urbe, r. d. Nematallah Caramé, rector collegii Maronitarum in Urbe; episc. tit. eccl. Gindarensis et Vicarius apostolicus novi vicariatus de Fianrantsoa in insula Madagascar r. p. Carolus Givelet, Societatis Iesu alumnus; primus episc. novae dioecesis Aimerensis in Indiis Orientalibus r. p. Fortunatus a Turone, in saeclo Henricus Caumont, sacerdos ordinis Minorum Capulatorum; episc. tit. eccl. Gerrhensis et vicarius apostolicus Laosiensis r. p. Constans Ioannes Baptista Prodhomme, alumnus seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteriores; episc. tit. eccl. Ionopolitanae r. p. d. Henricus Douillet, translatus ab ecclesia Nicopolitana.

— Rev. d. Antonius Stoppani, ex Instituto Veronensi Filiorum SS. Cordis Iesu, Praefectus Apostolicus de Bar-el Gazal in Africa centrali nominatus est.

— Ilmus, et revmus. d. Carolus Pietropaoli, archiep. tit. Chalchid., legatus extraordinarius mittitur ad Venezuelanas foederatas civitates.

— Emus. P. D. Octavius Card. Cagiano de Azevedo, Pro-Praefectus dicitur S. Congregationis Religiosorum.

— R. p. Aegidius Bertolotti Sch. Piar. inter Consultores adsciscitur S. Congnis. Indicis.

— Illmus. et revmus. d. Dominicus M. Valensise, archiep. tit. Oxyrynchius, inter epis: opos Pontificio solo adst ntes adnumeratur.

### Varia.

Die XXVIII mens. Iunii, sub vespere, SSmus. D. N. Pius PP. X in Vaticanam basilicam de more descendit, se- pulcrum Apostolorum Petri et Pauli veneraturus.

## ANNALES

### Turcarum et Bulgaricae gentis nova discrimina.

Et hodie de Orientalibus Europae populis sermonem habentibus iterandum id nobis est, quod alias adnotavimus, illam necopinatorum eventuum esse regionem. Re quidem vera, ut in superiore Ianuario mense civilis Turcarum perturbatio tum obiecta Europae est, quem videbatur Londini pax inita; sic, proximis hisce diebus, pace tandem certa vix composita, Supremi Turcarum Administri caedes omnium animos graviter et acerbe nimis occupavit.

Mahmud Chefket Pacha in pubblica via manuballistulae ictibus est interemptus a quorumdam coniuratorum globo, quos qui procuraverit haud facile liquet. Sunt enim qui in nefando facinore privatam amicorum Nazim Pacha ultionem repeatant; sunt qui supremum conatum factionis, cui ab Unione et Progressu nomen, videant, non uno eo fine ut Iuvenum Turcarum aemulorum potentiam frangerent, sed ad ipsum senem Abdul Hamid Sultanum in regnum restituendum.

Quae quidem postrema excogitata nisi veritati apprime respondeant, ad utilitatem certe Iuvenum Turcarum illorum cessit, qui statum, ut ita dicamus, terroris per imperium omne instituerunt, in vincula detrudentes, in exilium, ad ipsamque mortem iuxta libitum suum trahentes quos sibi aliquo modo obstatculo esse aut futuros reputarent: exercitus atque classis duces, populi legatos, diariorum scriptores, ne regiae domus quidem principibus parcentes. Ex facile quibus appareat, minime nunc virtutem eam oriri posse, qua Turcarum imperium omnino indiget, ut morbis tot tantisque mederi queat, unde ipsum vexatur.

Neque melior Balkanicarum gentium sors obicitur; quarum discordiis, a nobis in superiore Iunii mensis fasciculo enumeratis, ut finis imponeatur, Russorum Caesar suum arbitratum interpoluit. Praetereamus aemulationem aliquam apud nonnullam aliā Europae civitatem ex huiusmodi actu, - qui ceterum in foedere, a Bulgariis cum

Serbis ante recens bellum facto, praevidebatur exortam, et bona animorum voluntate facile compositam; gravius id fuit, neque Bulgarios hinc, nec inde Serbos invitationi obsecundasse; contra, condiciones ponere, causam intersere, nugas agere; imo ad ipsa arma venire; quemadmodum nuncii hodie attulere, quos equidem falsos ominamur. Id vero heu! certum, in re adhuc omnes versari periculorum plena.

\* \*

### Mauritanae decertationes.

Quae mense Maio Italos in Lybia contigerunt, Gallis et Hiberis nunc in Mauritania evenere. Aciem enim Maugin chiliarchae Mauritanii adorti sunt, quae centum et quinquaginta milites aut necatos aut vulnere affectos reportavit; ad Tetuan autem Hispanorum negotia valde iterum facessunt.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** navalis rei administer Churchill apud populi legatos classem praeter terrestres copias augendam et tutandam vehementer adseruit.

In **Austria** publicae rationes acceptorum et expensarum ad tempus ratae habitae.

In **Batavia** nova comitia favorabilia factioni cesserunt administris obstanti, qui deinde a munere abdicarunt.

In **Borussia** contra, nova comitia factiones easdem, quae antea erant, reliquerunt.

In **Dania** novum administratorum collegium suffectum, praeside Zahle.

In **Gallia** apud populi legatos lex de militia reformanda post acerrimam disceptationem tandem approbata; apud Senatum gubernii propositum de vectigali in successionis iuribus augendo, reiectum.

In **Germania** de re militari novanda adhuc disputatur.

In **Hispania** administratorum coetus, cui Romanones praeficitur, bis dimisit ac bis resumpsit imperium.

In **Hungaria** ad gubernacula imperii Stephanus Tisza, Comes, rursus vocatur.

In **Italia** «legislatura», ut vulgo audit, tempus suum absolvit, ita ut oporteat nova comitia brevi indicere.

In **Lusitania** legationes nonnullae apud exteris gentes, quas inter et apud Summum Pontificem, sive lege sive administratorum decretis ablatae.

## PER ORBEM

Die II mens. Iunii MCMXIII nova via ferreis axis  
bus strata inter Bernicas Alpes publice patet.

— d. III Alfridus Austin, Anglicus poeta, Lon-  
dini moritur.

— d. v Stoyovic, publici coetus legibus ferendis  
in Serbia quondam praeses, dum filio graviter ae-  
grotanti multa cum pietate adstat, improvisa ipse  
morte corripitur.

— d. vi ad Hercyniam sylvam et iuxta Rheni  
fluminis medium cursum atra procella maxima  
damna apportat.

— d. xi Olyssipone magno populi concursu in  
memoriam Camoëns poetæ dies festus agitur.

— d. xv ingens terrae motus Balkanicam re-  
gionem quatit.

— d. XVI Berolini, ac per Germaniam univer-  
sam, ob expletum a Gulielmo II Caesare feliciter  
XXV regni annum, sollemnia celebrantur.

— die XIX incendium, necopinato exortum, Nea-  
poli navalia pessumdat.

— d. XXII, ad Waterloo oppidum, monumentum  
inauguratur in Francorum memoriam erectum, qui  
celebri in pugna, d. XVIII mens. Iunii MDCCCV illic  
pugnata, occubuerunt.

— d. XXIII Augustae Taurinorum gravis anno-  
rum vita fungitur Iosephus Allievo, moralis phi-  
losophiae et de arte educandi magister insignis.

— d. XXIV Gallicae reipublicae praeses Poincaré,  
ad Angliam proficiscitur, Georgium regem saluta-  
tur. In portu vero Roule, dum bellicorum tormentorū  
laeto fragore eius discessus salutatur, ex im-  
proviso ignitae pulveris glandes nonnullae simul  
incenduntur mortemque aliquot militibus heu! af-  
ferunt.

— d. XXV regalis Hispaniae domus novus prin-  
ceps, paucos ante dies natus, baptisma percipit,  
nomine Ioannis ei imposito.

— d. XXVIII terrae motu ulterior Calabra regio  
concutitur.

— d. XXIX curruum series vapore actorum ob  
cuiusdam pontis ruinam ad Onday Duruah, An-  
gliae Indorum regionis oppidum, in flumen pre-  
cipitat. Viatores omnes misere aquarum impetu  
rapiuntur.

— d. XXX cuniculus sub Loetschberg monte  
effossus, adstantibus tum Italicae tum Helveticæ  
civitatis administris, ferrivia primum transitur.

*Sic facies, quaecumque facies, tamquam spectet aliquis.*

SENEC., Epist., xxv.

## I O C I

## Democritus ridens Rabulam.

— Quo properas cum isto chartarum scapo manans  
sudore?

— Ad agendam causam patrisfamilias.

— Estne inclusus in carcerem?

— Ne per somnum quidem: idecirco patronum me  
adscivit, fama notum, ut ne ullam poenam criminis  
daret.

— Cunctanter in arduis, amice: noli, quaeso, citius  
petere forum; quo enim serius defensionem clientis  
miserrimi suscepis, eo diutius ipsi frui praecaria,  
quam vocant, libertate licebit.

## A E N I G M A T A

## I.

Claro e patre traho magnæ primordia stirpis:  
Filius aspernor vilis et ater ego.

Cum patre producor, vitae dum pascor ab auris;  
Planta coruscantes occupat atra vias.

Hoc de more meo: sana non mente renidet

Inclusum laribus, qui mihi frenat iter.

Opportuna mihi dant omnes tecta penates;

Vix patre productum pensilis umbra tegit.

Dum feror ad caelum ventis, iure esse superbum

Censeo, qui tumida dat mihi mente locum.

Si vitiis madeo, violo si sorte lacunar,

Haec vitiis virtus additur una meis.

Caelicolas veneror, festivis nempe diebus;

Gaudeo divinis semper adesse sacris.

## II.

Ad caelum surgo frondoso vertice. Muta  
vocabem: iam te semita tuta manet.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretatio-  
nem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii  
moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96)  
misericet intra menses duos, unus, sortitus, gratis  
accipiet opus, cui titulus:**

MARCI MINUCII FELICIS

OCTAVIUS

ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS

Aenigmata an. XVI, n. IV proposita his respondent:

I. (vulgo REBUS):

**Infelix cor cumulatur in ira.**

II. Anchora.

Ea rite soluta miserunt:

Aloisius Cappelli, Senis. — Petrus Tergestinus. — Lad. Thyssen,  
Dresda. — Iac. Costa, Dumio — Diomedes Falva, Constantia. — R. Fer-  
raris, Augusta Taurin. — Iac. Fernandez, Mexico. — Clem. Fiard, Curia  
Raetorum. — P. Prado, Venetiis. — St. Lowinski, Zerkow. — Alb. Kain,  
Ant. Whiteside, Dublino. — I. Ortiz, Morelia. — Claudius Lucensis. —  
Iac. Gomez, Caesar Augusta — Carm. Zlinezky, Cracovia. — Io. Martins,  
Philadelpia. — Ant. Masia, Tarragona. — Alex. Pintauro; Viac. Starace,  
Neapol. — Rich. Muller, Berolino. — Rich. Brondel, Brugis. — F. Cor-  
rea, Emerita. — F. X. M., Drepano. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio — I. Ciolli,  
Papia.

Sortitus est praemium:

ANTONIUS WHITESIDE,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI

DE ORATORIBUS ROMANIS

ACROASIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinae Societatis Editricis Romanae.

## AD ROMAM

10)

## ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

3. — Quis autem Romae novit hoc latibulum?  
 Enim per obscuros truderunt abditi,  
 Praecinctos vinculis, velatis oculis.  
 Manemus donec lux beata affulgeat,  
 Qua nos ducamur forsitan suppicio!
1. — Foret si protinus!  
 2. — Quid moramur adhuc?  
 3. — Et cur?  
 1. — Sumus quia Christi discipuli.  
 4. — Dies dum Domini fulgidus pervenerit  
 Iuvabit, socii, rogare supplices  
 Deum pro nobis, nostris pro parentibus,  
 Et ipso nobis saevo pro Maxentio,  
 Duris qui vexat diu nos suppliciis.  
 Dei si donum nosceret miserrimi s,  
 Nec nos inquireret tamquam adversarios,  
 Suos haberet subditos fidissimos.
1. — Deus, da lumen Maxentio et gratiam!  
 Da Romae pacem!  
 2. — Redde nos in patriam!  
 3. — Iesu, qui semper pueros nos diligis,  
 Eisque fausta Solimis precatus es,  
 Memor quae mundus admiratus repetit,  
 Iesu, nos salva, conduce nos in patriam,  
 Da libertatem nobis et Ecclesiae!  
 4. — Et usque Roma sit regina gentibus,  
 Non armis victis, domitis vel sanguine,  
 Novis sed placitis quae Petrus tradidit.  
 2. — Quod omen faustum sit et felix populis!  
 1. — Tacete, postes panduntur, fores crepitant.  
 Novi quid adest?  
 2. — Iudicium?  
 1. — Supplicium!

## SCENA IV.

MUTIUS et OCTAVIUS, qui introgreduntur caute.

1. — Adest quis?  
 2. — Mutius!  
 1. — Quod infortunium!  
 2. — At, at venit...  
 3. — Quis?  
 2. — Alter infelix puer!  
 Hic est Octavius, nepos Anicii!

OCTAVIUS (more puerorum).

Feci quid tibi? Cur hoc me ducis, miser?

MUTIUS.

Resumas pervelim paulatim spiritus.  
 Bonus redibis ad patrem mox denuo;  
 Sed antea nobis sunt agenda plurima.

(ad milites)

Heu! vos venite citius ad me, milites!  
 Tenete hunc puerum vestra sub custodia...  
 Istos sed subito in carceres trudit!

(Milites Mutii sententiam sequuntur, et deinde redeunt; obtortis oculis adspiciunt Octavium).

MUTIUS (egrediens).

Eundum tandem sacerdotes monitum,  
 Heic captivum mea sub custodia  
 Detrusum puerum mihi conceditum.  
 Nec parvus puer, de familia Anicia! (Exit). (1)

## SCENA V.

OCTAVIUS, solus.

OCTAVIUS.

Quid sibi vult haec longa rerum novitas?  
 Cur hoc duxere clanculum? Quis intelligit?  
 Premunt me mille circumstant angustiae!  
 Modo scio nihil; sed quid in posterum?  
 Hoc unum noverim Patris angustias...  
 Si possim! subito meus custos angelus  
 Ei daret nuncium... Moneret placide  
 Adhuc me tenuem respirare aërem,  
 Deum fateri fido Christum pectore.  
 Ut olim Romae, Christo nunc Anicii  
 Suam dant fidem semper crita invidiam.

I. MILES (accedens pavide).

Hanc lege chartulam!

OCTAVIUS.

Quam?

I. MILES.

Tibi porrigo!

OCTAVIUS (legit)

«Deus cras mittet redemptionem populo,  
 Erunt et omnes concaptivi liberi!»  
 Quod nuncium! Quot sunt agendae gratiae!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

(1) Ius Mites eum caute sequitur. Postea reddit.